



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XII. Ex Austeritate vitæ Domini Jesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

quam docuisti me, & mundus non capit. Da ut eam intelligam, sicut oportet; fac, ut eam adamem, sicut tu cupis; & exequar, sicut ordinasti. Non mihi desit hæc manus, sine qua nihil possum, ut eâ juvante pauper ac separatus ab omnibus, quæ à te separant, viyam solùm ex bonis & divitiis spiritualibus, quas ipsa continet & impertit.

O sanctissima DEI Mater, pauperrima imitatrix pauperis JESU, ac ditissima thesauraria donorum ejus! tu non ita es Domina pauperum, ut abjicias peccatores: impetra mihi spiritum, qui per paupertatem tibi contulit tantas divitias. Adjuvate beati Calites hunc pauperulum, ne amet temporalia, sed ut possit vobiscum potiri æternis. Amen.

ÆRUMNA XII.

Ex Austeritate vitæ Domini IESU.

I.

*Paupertatis
pedissequa
Rigor
& Pœnitentia.*



*Dominus
IESUS &
Pœnitentiam*

Ita Paupertatis voluntariæ secum trahit virtutem Pœnitentiæ, & Austeritatem corporis. Sancti, qui fuerunt pauperes spiritu, & qui pauperes etiam corpore, amore DEI renunciârunt bonis temporalibus, ut expedirent se laqueis, quos dæmon & natura tendunt contra istam virtutem: adjunxerunt austeritatem vitæ ac pœnitentiæ; quamvis diverso modo pro suis quisque viribus, ut redigerent corpus in servitutem spiritûs, & refrenarent ejus appetitus; simulque meliùs exercerent odium corporis, quod Christus docuit pro salute animæ. Eadem virtus in perfectissimo gradu comitata est Christum, donec vixit in mundo; qui licet non habuerit causam mortificandi corpus, per omnia semper obedientissimum spiritui nihilominus omnium virtutum, præsertim majoris momenti, exempla perfectissima relinquere voluit, quamvis Majestati personæ suæ minùs congruerent. Cùm enim suscepisset in se onus satis faciendi pro nobis, ut in passione nihil tormentorû refugit, sic in omni vita sua semper misit manum suam ad opera magis dura & laboriosa, quibus affligi posset sua Humanitas. Videbat, ut Redemptor peccatorum, quàm necessaria esset eis pœnitentia; & ideo cùm interna,

interna, quæ in dolore propriorum peccatorum consistit, in eo locum non haberet, amplecti, docere & commendare voluit externam, tanquam salutiferam tabulam in naufragio, quæ in austeritate vitæ est sita, eam suâ austeritate dignificans & sanctificans.

II. Multi Sancti vitam Christo austeriorem duxerunt, ut *Et rigorem*
 Ioannes, qui neque veste neque cibo humano est usus; atque ideo *vita magis*
 apud rude vulgus, qui pessimus est iudex veri valoris rerum, ma- *coluit.*
 jore in admiratione fuit: sicut etiam perversi Pharisei taxabant
 Christum, quod manducaret, & biberet vinum cum peccatoribus.
 Nihilominus omnium Sanctorum austeritas, quantumvis major, *quàm ullus*
 multò tamen fuit imperfectior, quàm Christi. Nam apud illos *Sanctorum.*
 poenitentia fungebatur officio viliori, quasi chirurgi propriarum
 plagarum, refrenando inordinationem naturæ, reprimendo ap-
 petitus, & excindendo radices pravorum affectuum. At in Chri-
 sto operabatur efficaciam, & valorem poenitentiarum Sanctorum,
 & merebatur copiosissimam gratiam & divitias poenitentium. Fi-
 nis & perfectio ejus in Sanctis erat, liberare eos à rebus, impedi-
 entibus puritatem amoris divini, & eandem conservare: sed in
 Christo proveniebat ex amore perfectissimo, & infinita charitate.
 Verbo, poenitentia Sanctorum est cauterium peccatorum; Chri-
 sti, est unguentum eorum. Conveniebat ergo, ut in Sanctis esset
 magis austeritas, in Christo magis exemplaris & imitabilis. Neque
 enim ostendere voluit eminentiam in ullare, nisi quam nos imi-
 tari non voluit, nec decuit; ut erat Majestas in patrandis miracu-
 lis, auctoritas in docendo & agendo. Sed in quibus nos obligavit,
 vel invitavit ad imitandum, exhibuit foris modum communem
 vitæ sanctæ, sine magnis extremis, ut nostra debilitas non despera-
 ret; & sine remissione, ut inordinatio naturæ semper esset sub fre-
 no. Vestiebatur lanâ, vesciebatur sine inventionibus provocanti-
 bus gulam, pane hordeaceo plerumque contentus, & aqua;
 si quando invitatus ab alio relaxasset non nihil, mox resumebat
 consuetum rigorem: lectus ei terra fuit, pulvinus aliquid non
 molle; nec plus dormiebat, quàm strictè necessarium erat ser-
 vandæ naturæ: neque ullo miraculo supplebat defectus, ne veritati

naturæ humanæ fidem adimeret. Et inter hæc omnia corpus ejus fuit semper obedientissimum ad omnes labores, itinera, vigiliis, orationes prolixas, diu nocturne, jejunia continua, tolerantiam frigoris & æstus. An etiam ciliciis & flagellis sit usus, haud constat: amorem ejus non superabant hæc talia; quæ si non adhibuit, aliis multis liberaliter compensavit.

*Gravitas
peccati satis
d nobis
agnosci non
potest.*

III. Quomodo sit imitandus à quolibet in hac virtute, non facile est definire, quia non omnium sunt vires æquales. Præcipua pars Pœnitentiæ est dolor internus de peccatis commissis, & eorum detestatio: in quo quidem excedi non potest; quia crescit in anima cum lumine dato à DEO, & cum eo crescit amor divinus. Nec potest in hoc mundo gravitas peccati satis agnosci, uti neque DEUS satis amari pro merito: contentus tamen est DEUS pro sua misericordia, ut agnoscamus eam ac detestemur pro mensura luminis & gratiæ nobis concessæ à sua divina Majestate: renemur hunc dolorem procurare per Sacramenta, & exercitia spiritualia, in quibus negligentia non potest carere gravi salutis periculo. Sane veram pœnitentiam non habet, quem agnitio peccati non avelit ab occasione peccandi; qui non verè confitetur, vel eum, quem putat rem intelligere, vel leniter dissimulare, sine cura emendationis, & castigationis necessariæ; qui non refrenat libertatem & inclinationem peccandi: quia hæc sunt signa radicati amoris erga peccatum, & quod illud non sentiatur, sic oportet. Quod experientia docet in juvenibus, in quibus paucissimi verè pœnitentes: quia rarò verè detestantur sua peccata, & inclinationes.

*Juvenes
rarò sunt
verè pœnitentes.*

*Signa veræ
pœnitentiæ*

Veræ autem pœnitentiæ signum est, secundum S. Hieronymum, quando tantus est dolor, quantus fuit gustus peccati: secundum S. Ambrosium, quando quis odio culpæ, libenter suffert confusionem & injurias pro ea, quam intulit DEO peccando: secundum Taulerum, quando quis vera & voluntaria submissione, non minus vult & quærit pœnam & castigationem à DEO, quam veniam. Et ista quidem pœnitentia perfecta est: ad quam, quia non ita facile pervenitur, ideo dictum est, *de propitiato peccato noli esse sibi metui.* non quod DEUS sit denuo petiturus rationem de peccato semel remisso, sed ne propter securitatem remissionis obteata rursus

peccemus:

peccemus: quandoquidem sine speciali revelatione, de venia obtenta non securitatem, sed fiduciam habemus, fundatam in sanctis conjecturis, ex bono animo usurpatis à Deo præscriptis: in quibus tamen ipsis certi non sumus, an debitam diligentiam adhibuerimus, ut securè degamus; ideòque semper deploranda sunt peccata commissa, & magnà diligentia contra malas inclinationes vigilandum, ne incidamus in nova, si non per pœnitentiam eas abolerimus. Cùm enim videamus etiam post pœnitentiam nos incitari per eas in malum, meritò cum humilitate cogitamus, quòd peccata non sufficienter oderimus, ut refrenentur & purgentur mala, ex iis relicta in anima.

Et hinc dicunt Sancti, pœnitentiam debere durare usque ad mortem: quia tam grave malum est culpa, ut nemo cogitare debeat, satisfieri pro ea dolore minùs, quàm ad mortem usque durante. Deus enim illam remittendo, non liberat ab obligatione eam detestandi; quæ quidem obligatio durat usque ad mortem. Ubi apparet discrimen inter pœnitentiam Sanctorum. Illi quò magis satisfecerunt pro suis peccatis, eò minùs satisfaciunt suo dolori & sensui, quo illa deplorant, detestantur, fugiunt, metuunt: isti verò, quò minus ea agnoscunt, eò confidunt magis de venia obtenta, & negligentius vivunt, minorique cautela. Considerent hi, quid egerit ac pertulerit Christus, pro venia nobis impetranda; & videbunt se longè majoris metùs, quàm securitatis causam habere. Videant in hoc divino speculo tria signa, quæ memoravimus veræ Pœnitentiæ: deprehendent, nullum etiam effrenatissimum peccatorem tantum habuisse delectationis in peccato, quantus fuit dolor pro ipsis ac sensus Christi: tantam fuisse confusionem, quam pertulit Christus & injurias, quantum nullus etiam vanissimus cupit honorari in mundo: denique illum noluisse gratis condonari peccata à Patre, sed voluisse veniam obtinere justis meritis ac suppliciis, ad quæ se obtulit. Atque adeò eum non fidere voluisse nostris pravis inclinationibus, sed ut juvaret nos suis doloribus, Sacramentis vim dedisse, sanctificasse opera Pœnitentiæ, ut habermus in promptu semper media pugnandi cum illis. Si quis igitur unquam fuerit verus æstimator peccati, non cessabit deplorare totâ vitâ,

*Pœnitentia
usque ad
mortem
durus oportet.*

tâ vitâ, tam sua, quàm aliorum omnium peccata & pericula peccandi. Hæc ergo duo discamus, 1. Ut viva fide confidamus de venia, si convertamur ad Pœnitentiam. 2. Amoris Deo debiti esse, ut semper retineamus dolorem ac sensum peccati admissi, ne reincidamus.

Regula au-
sferitatis
discreta.

1.

IV. *Externa pœnitentia, sive austeritas corporis* omnibus imitanda quidem, sed cum discretionem, pro cuiusque viribus, conditione ac statu: quamvis in dubio sit tutius, declinare in maiorem rigorem. Prodesse communiter poterunt hæc regulæ. Primò corpus ex necessitate gubernandum, non ex appetitu. Curandum autem, ut agnoscat vera necessitas, juxta proprium statum. Errant enim Religiosi, qui necessitatis prætextu, ex occasione alicujus infirmitatis, exquisita & superflua sibi procurant, non sine periculo paupertatis, fomento gulæ, blandimento carnis, debilitatione spiritûs, sollicitudine procurandi, servandi, renovatione secularis affectus, læsione charitatis; dum alius esurit, alius autem ebrius est. Denique perit libertas spiritûs, dum obligantur talia suppeditantibus; & plerumque tales sunt sine oratione ac spiritu, ceterisque bonis illi connexis. At apud sæculares, dum appetitum præ necessitate sequuntur, mala & peccata proveniunt sine numero.

2.

Quilibet ergo informet fideliter suum directorem Spiritualem, & illi obediat. Secundò. Timidè & parcè indulgenda sunt natura, ad quæ malè propendet. Unde propensiones hæc diligenter notanda: nam ab his oriuntur excessus. Tertiò. Attendendum profectui spirituali, semperque cogitandum, te minus facere, quàm posses.

3.

Fallit enim se ipsum, qui putat se plus facere. Unde majore cum timore uteris necessariis, ac minus liberè. Quartò. Id genus austeritatis est magis sequendum, quod aptius est ad corrigendum vitium, in quod sæpius incidis, vel ad quod magis propendes. Nam libertas linguæ melius curatur silentio, quàm jejuniis: luxuria melius custodia sensuum, & occupatione cum Deo, quàm silentio. Ac proinde, qui aliter agunt, etiam plurima austeritate meliores non fiunt.

4.

Quintò. Id genus pœnitentiæ, quod in jejuniis, vigiliis, ciliciis, disciplinis, duritia lecti, & vestium consistit, salutare est, cum ex præcepto Ecclesiæ, sive statûs, aut consilio prudenti suscipitur:

5.

noxium;

noxium, si impediatur functiones necessarias: malum, si ex proprio arbitrio; tantò verò laudabiliùs, quantò meliùs subigit carnem spiritui, modò alià austeritates majoris momenti conjunctæ sint.

6. Securior & necessarius est rigor, quo refrenantur sensus, aures, oculi, lingua, conversatio, otiositas, iræ, occasiones peccandi, propria voluntas & judicium, opinio & existimatio propria. Atque hic rigor exercetur sine periculo, & omni excessu, qui non possit facile corrigi. Et hunc multò magis refugit caro, quàm priorem illum externum: eum enim tandem non sentit amplius; sed interiorem non potest non valde sentire.

7. Præcipua verò austeritas in perpetua animi collectione, & continua oratione consistit.

Quod apud Sanctos & expertos certissimum est, ac patet in iis, qui malunt quemvis exteriorem laborem subire, quàm tantundem temporis orationi impendere: quia in illa constringitur libertas cogitandi, quod natura maximè refugit; castigantur appetitus, & omnis eorum inordinatio; ligatur voluntas, ne feratur in ea, quæ desiderat; cogitur esse sub jugo, ne det aditum rebus cor perturbantibus: denique totus homo in oratione vincitur undique, tanquam captivus, neque ulla res degustatur, quæ in desiderio est: corpus impeditur, ne possit prosequi sua vota, nec sublevaratur ejus indispositio, nihilque permittitur ei, quod solebat antea facere pro libitu. Et quamvis tandem longo usu perveniatur ad vitam quietam, hilarem, plenam solatij & suavitatis ex amore divino, corpusque pareat spiritui: sic tamen debilitatur, fatigatur, destruitur, ut quandoque indigeat refocillatione; quam tamen ipsam tantùm accipit modicè, ut pergere possit in morte continua, in qua vivit: atque ita nihil officit animæ. Utinam hoc genus austeritatis adamant, qui diligunt mortificationem ac pœnitentiam! plus ex eo solo capient utilitatis, quàm potuissent unquam optare. Securè illud arripient, quicumque per vires, vel ratione sui status, corporis austeritatem sectari non possunt: quia sic nihilominus erit virtus pœnitentiæ apud eos debito loco.

V. Solent multi, cum audiunt vitas Sanctorum, excitari ad desiderium suæ salutis: sed quia vident se pœnitentias eorum imitari non posse, desperant: quæ fraus est diaboli, ne se incipiant

6.

7.

*In perpetua
collectione
animi præ-
cipuus ri-
gor est.*

*Spiritus
austeritatis
Sanctorum
sequendus.*

T

emen-

emendare, maneantque in sua negligentia. Isti scire debent, non has pœnitentias Sanctorum imitandas esse, sed spiritum; quem si sequantur, dabit eis DEUS, quod in ipsius obsequium fuerit, sive ordinarium, sive extra ordinem: quia suo lumine illos reget, & omnes illorum imperfectiones consumet. Interim dum illa majora vident in Sanctis, DEUM in eis exaltent, seque humiliando extimulent saltem ad hoc faciendum, quod possunt: quia in regno DEI mansiones multæ sunt, & luminaria majora, minora.

E X E R C I T I U M
De Austeritate Domini & Pœnitentia.

I.

*Confessio
pœnitentis.*

Domine, spes ac desiderium servorum tuorum, ad quam suspirat cor te possidentium, & te quærentium. O divine Medice & Medicina omnium necessitatum! mearum: ego hîc sto ante divinos & misericordes oculos tuos, plenus internis vulneribus, quæ tu vides, æstimas, & cognoscis meliùs, quàm ego; Culpam, quam in illis habeo; pœnam, quam promereor; injuriam, quam tibi intuli, & omnia mala mea ego novi, sed tu cognitor & emendator meus, justa lance perpendis. Non possum, nec cupio subterfugere manum tuam, nec judicium, sed ei, quantum vis fuerim ingratus pro beneficijs ab ea mihi collatis, & illa malè impenderim, ac rejecerim, quæ liberalissimè mihi largiebatur, me humilimè subjicio, & ab eadem exspecto curationem & remedium, pœnam, & castigationem, vires & spiritum me emendandi. Tibi, ô mi Pater! ac tuæ pietati mala mea confiteor: aperi oculos cordis mei, ut cognoscam immensitatem culparum mearum, cognitasentiam ac deplem, & totus tibi denique placeam. Tu, Domine, non despicias tuas creaturas; sed ego fateor, me non posse comparere cum ulla re, quam non meritò possis reprobare: quia in omnibus meis sensibus internis, externis, & in omnibus actionibus porto scriptam sententiam castigationis, quam coram oculis tuis divinis negare non possum: mei oculi, quos debeo levare ad te, DEUS meus, testimonium ferunt injuriarum, quibus te affeci: lingua mea, quæ te precor veniam, convicta est plurimorum, quæ contra tuam vo-

lunta-

luntatem locuta est: aures, quibus haurio tua verba, habent contra se vanitatem, cui vacaverunt cum tua offensa. quidquid est in hoc corpore, circumdatum est injuriis in te, occupationibus terrenis, servitiis brutorum appetituum, tanquam instrumentum omnis malitiæ, & inimicorum tuorum. Ecce hîc violatorem obedientiæ tuæ: ecce prædonem honoris tui, destructorem operum tuorum, profusorem bonorum tuorum, jumentum sui arbitrii obstinatum ad emendationem, ac tam improbum & inclinatum ad omne malum, hoc ipsum confitens sine sensu, & insuper flaccidum & infirmum ad sufferendam curam pœnitentiæ, refractarium omni castigationi & obedientiæ. Talis anima infelix, tam vilis ac terrestris, qualis hæc est, non poterit comparere coram tua puritate divina. Tu liberam creâsti ac dominam; illa subjecit se servituti, fugiendo à te, & rebellando; semper magis amica suæ carni, quàm tibi; semper addicta voluptati corporis, & occupata cum ipso, eiúsque oblectationibus; surda ad tuas inspirationes, tepida in tuo officio; plena iis, quæ tu vides & horres; sine te, vera vita & opulentia mea; distractis cogitationibus, memoriâ plenâ non te, sed his, quæ tu novisti; voluntate versâ in abyssum omnium indignitatum, quas tu odisti.

II. O Domine! tu scis, quòd nequeam cognoscere mala, quæ contra me implorant justitiam tuam: quid mihi superest, quo tibi satisfacere, quod offerre possim, ut appaream coram te? nihil, Domine, Deus meus, mihi restat, nisi meritum justissimæ pœnæ ac damnationis, quam intulisses, nisi me respexisses in misericordia. O quàm paternè tolerâsti errores juventutis meæ! cupiditates mihi per omnem vitam dominabantur. Vidisti me, quasi abalienatum, ire post erubescendas cogitationes, & concupiscentias meas, inhiantem occasionibus peccandi; infatuatum vanissimis intentionibus, quas omni studio prosequer in summa oblivione salutis animæ; distractissimum in interiori & exteriori homine, in voluntaria servitute vitiorum, & voluptatum; dispersos affectus animæ, in qua tu nullam partem habebas. Videbas, quòd voluntariè deciperer in omnibus rebus, & ultrò te, Deus meus, ex corde ejicerem. Videbas, quòd mea vita decurreret in continuis erroribus, & illu-

Dei patientia erga peccatores.

148

tionibus, jamque appropinquarem inferno: à quo tamen me preservasti hucusque. Ecce, Domine, ego sum ille, quem tolerasti hucusque, cum non ignores, quanta sint mea mala, quanta etiam caecitas, quae me non sinebat ea videre: Ecce hic sum etiamnum male cognitus à me ipso, ac patienter toleratus à te. Quid igitur faciam, Domine, quando non vis me desperare; cum tamen in me ipso non habeam, in quo confidam, nec possum secure promittere, quid tibi certo praestiturus? O amantissime ac piissime Pastor omnium errantium, qui noluisti nos habere remedium, nisi in te ipso, quem offendimus, ac tua merita donasti nobis, ut cum ijs sperare possimus in tua misericordia, ac docuisti nos per poenitentiam emendare nostros errores; aperi oculos meos, ut à te discam reformare meas inordinationes, agnoscere, ac detestari culpas, quibus tuam infinitam Majestatem offendi, o divine Magister ignorantiarum mearum, & Reparator mearum necessitatum! Infinitas tibi gratias ago, mi Pastor divine, pro bonitate, amore, ac pietate, qua in te recepisti peccata mea. Adoro immensum amorem, ac voluntatem, qua obtulisti te universis laboribus, ut ego ijs sublevarer, omni austeritate in te suscepta pro meo levamine. Adoro vigilias & orationes, quas pro me fudisti: adoro famem ac sitim, frigus & aestum, quem pro me sustinuisti: adoro omnem austeritatem vitae, poenitentias & opera poenalia, ac rigidam tractationem, quibus per annos triginta luiti mea peccata, quibus ego incedebam eadem perpetui: adoro sensum, quo eadem peccata displicerent, desiderium quo te pro illis obtulisti; amorem, quo te pro illis affixisti; anxietatem, qua satisfacere; divitias meritorum, quibus aperuisti mihi thesauros misericordiae tuae; justitiam tuam Panis artemi, quam tuis meritis placavisti; gratiam & veniam, quam mihi per eadem merita & lacrimas impetravisti.

*in libro
DEO,
quoniam offendimus
dignus est
remedium
aestum.*

III. Dese me, Domine, ut possim tibi esse gratus pro tantis miserationibus: Illis noctibus, quibus vigilabas procurando mihi divitias gratiae; praesentia tibi orant mala, in quibus columbarus eram vigilias meas obsecras, & noctes transibis. In fame & siti, quam patiebaris, memor eras gula mea; in aestu & frigore, deliciarum corporis mei; in lacrimis, quas fundebas, moveras meam

*Domine
Dignus
IESVS habuit
peccata nostra
semper ob
oculos*

meam duritiam & libertatem sensuum: in occupationibus & amore æterno, quo te offerebas, habuisti me semper præsentem sine amore tui, distractum ac totum destructum: in omni austeritate, quâ tractabas Humanitatem tuam sanctissimam, recordaberis nimiam licentiæ meæ ad omnia vitia: jam in cognitione sapientiæ tuæ ruebam ad interitum, dum tu me curabas lucrari; jam te fugiebam, dum tu me captabas amore; jam delectabar meis peccatis, dum tu pro his te affligebas; jam cogitabam de curando meo corpore, dum tu per pœnitentiam ita malè tuum tractabas. Non agebam ego, nisi de his, quæ me separarent à te, dum tu tantis laboribus conabar me servare, tanquam verus pater, dominus & amicus, nolens mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Ah Deus! ego, ego sum, pro quo te affligis: vide me hîc, qualis præfens tibi eram tunc, totus perditus: talem nunc tibi me sisto; sed pariter habeo mecum præsentem vim & efficaciam ærumnarum tuarum, unâ cum misericordia tua. Cum his jejuniis, vigiliis, orationibus, ac pœnitentiis tuis suppliciter peto, quod non mereor. Respice illa, Domine, ut mihi condones. Si non vis condemnari peccatorem, quia est opus manuum tuarum, & tu amas omne, quod tu fecisti; quomodo vis ergo, ut pereant in me labores, quos pro me exantlasti?

IV. Aperi, Domine, oculos meos, ut me cognoscam, & horream; quia sine tuo lumine sum cæcus, & amo venenum vitiorum meorum. Tu vidisti in peccatis meis tantam infelicitatem, tantam malitiam, & seditatem, virus tam pestilens, ut judicaveris, absque tuo sanguine, & absque te, Fili DEI vivi! illa curari non posse. Omnes labores tuos censuisti esse necessarios, ad curandum tam grave & abominabile malum; & tanquam is, qui id optimè cognoscebat, nullam quietem admisisti, donec pro illo satisfaceres. Et ego, qui id patro, comedo, ac dormio securè cum ipso, tanquam cum comite, nonnunquam etiam tanquam cum solatio, & refrigerio vitæ meæ. O divina Pietas! compatere tantis *D. precatio peccatoris.* miseriis, ac tam erroneæ cæcitati. Qui non timui te offendere, timui te offendere. Gravitate ac pondus mearum culparum, & quid mereantur, ego scire non possum,

sum, nisi hoc tu mihi des: & quia ad eas curandas tu tot annorum pœnitentiam subiisti, per eandem te rogo, da huic animæ peccatrici fructum illius, perfectam inquam, cognitionem, & intimam detestationem earum. Ah miserere, Deus meus! perfringe murum, qui intercedit inter te & me. Quid tibi potest magis displicere, quàm quòd me delectet facere ea, quæ tu odisti tantopere, ut propterea damnes in æternum animas, quas sic amasti, ut in Cruce moreris pro illis? Et ego sum tam cæcus, ut, cùm pecco, putem me nihil facere; & aliquando doleam, me non posse peccare, quantum vellem? Ah mi Deus, nescio petere, quod vellem, nec cogitare, quod & quantum debeo desiderare; quia adhuc cæcutio. Si tu, Domine animæ meæ, illuminares tenebras meas, quantumvis longa foret vita mea, totam expenderem in dolore pro uno tantùm peccato commisso: nunc autem ità securè dego, postquam commisi tam multa. O misericors Domine, quia necdum scio bene desiderare, quod esset à tua pietate petendum; pete à Spiritu tuo, quare tam multum jejundet, vigilet, se affligat, tantas pœnitentias faciat totis triginta annis pro peccatis, quæ ipse non fecit: & ex eo, quod ipse responderit, (quia novisti mala mea, quæ ego æstimare non possum) mihi da, quod nescio petere, ut non offendam te amplius. Tuos labores invoco, ab iis peto hanc gratiam; illos respice, Domine; & per illos mihi da, quod ipsi promeruerunt & obtinuerunt pro me.

V. Mi Domine, Redemptor & misericordissime Reformator omnium errorum meorum! ad tua obsequia converte omnes sensus distractos, & omnia membra corporis, inimici mei. Tu, Domine, scis, ut resistat bonis, quæ tu plantas in hac anima: da mihi animum & vires, ut vincam: doce me cognoscere dolos ejus: disjice nequitiam excusationum ejus: da mihi fortitudinem Spiritus, ut possim ei resistere, & imperare. Quid possum contra talem hostem, sine tuo auxilio? Tu mihi eum adjunxisti pro socio, cum obligatione, ut eum sustentem & castigem: at ego tam sum infelix, ut nesciam temperare hæc imperia; quia magis inclinor ad compatiendum ei: unde plus acquirit virium contra me, quàm ego habeam ad ipsum domandum & castigandum. Affige, Domine, amore

*Corpus est
sustentan-
dum & ca-
stigandum.*

amore tuo meam carnem tuæ Cruci, & per labores tuos da mihi discretionem, voluntatem, & vires, ut sic eam tractem, ut vis eam tractari à me. Averte, Domine, & conclude timore tuo oculos meos, ne cum gustu videant vanitatem, nec figantur in rebus, quæ destruunt animam. Pone custodiam, Domine, & frenum linguæ meæ, & undique claude os meum, ut verear dicere, quod non debeo: & quia tu dixisti, vitam & mortem esse in lingua, fac, ut vivam tacendo, ne loquendo occidam animam, nec lædam proximum, sed cum silentio & spe vivam semper occupatus in te. Et quia in Scriptura dixisti, sensus nostros esse januas, per quas intrat mors animæ; obsera illos intus amore & timore tuo, ut tu solus vivas in hac anima, nec sit in ea, quod tibi displiceat. Doce me, Domine, refecare omnes cupiditates, nec uti rebus temporalibus, nisi ad necessitatem, sine excessu.

VI. *Vbi te accusaveris in particulari de rebus corporalibus, in quibus es laxior & quarum avidior; quæve plurimum peccatorum tibi occasio, quibus magis adhaeres, &c. ora sequenti modo.*

O Medice divine miseriarum mearum! da robur debilitati meæ, ad perrumpendas has malas inclinationes. O Cognitor imperfectionum mearum, qui vides altè fixas in corde meo has radices, & quantum proferant damni, extirpa eas, Domine, ac doce me, quomodo velis me tibi servire; & da voluntatem ac vires id exequendi, ne timeam quidquam eorum, quæ imaginatur, & refugit corpus. Concede mihi, Domine, ut amem omnia, quæ mihi creant molestiam; quia non sunt nisi instrumenta castigandi mea delicta. Fac, ut omnis tribulatio mihi placeat; quia per eam satisfacio pro meis peccatis. Da mihi, ut tantum detester peccata mea, quantum eis fui delectatus. Da tantum affectum ad poenitentiam, quantum fuit ad culpam: & quia tu scis meliùs, quid mihi conveniat, abijcio me ad tuos pedes: condona mihi quantum vis; castiga me, quantum tibi placet; ac da gratiam, ne aliud velim, Domine: hic ure, seca, percutere, nihil parce, ut in aeternum parcas.

VII. Tu, pie Domine, potes finem imponere omnibus malis meis. Tu amantissime Jesu, Vita & Salus hujus animæ peccatricis!

*Mala inclina-
tiones
fortiter
frangenda.*

*Corporis
timores
perrumpen-
di.*

*Jesus non
minus des-
derat*

familiari-
tatem pec-
nisentium,
quàm in-
nocentium.

cis, non minùs desideras familiaritatem, & amorem animarum
conversarum, quàm innocentium. Qua hora se Magdalena pec-
catrix projecit ad tuos pedes cum lacrimis, tu illam es amplexus
cum titulo amantis; ac brevi inter tuos promotam, ad caput ungen-
dum admissa est. Paulus persecutor, quam primùm ostendit, se ti-
bi velle obedire, pro schola sua cælum, ac te ipsum habuit pro Ma-
gistro, túque inhabitare cœpisti cor ejus. O Vita cordis mei! eleva
ad te hunc Spiritum meum abjectum: amplector tuos divinos pe-
des, Amor animæ meæ! Cupio te amare, bone Jesu! cupio te ama-
re, tibi servire, ac totus esse tuus. consumantur peccata mea in
abyssu misericordiæ tuæ, ut nulla supersit eorum memoria. Est, fa-
teor, Domine, tam fœda hæc anima, ut non possit comparere co-
ram oculis tuis divinis, nescit custodire se ipsam; & hinc vitijs in-
numeris conspurcatur. Sed quod tu curas, quid poterit lædere?
quod tu ædificas, quis evertet? quod tu conjungis, quis divider?
quod tu amas, quis terrebit? Tam tua est hæc anima, quàm ullius
è tuis charissimis. Ego te amo, Domine mi! si me ipsum aspiciam,
fugere debeo: sed aspicio te, æterne Inhabitor beatorum Spiri-
tuum, te desidero, ad te mea interiora suspirant. Tecum vult uni-
ri cor meum: tu consumes, quid quid in me tibi non placet. Te-
cum omnia potero & nihil timebo, Deus meus, opulencia mea,
gloria mea, & tota felicitas mea!

O Mater DEI & peccatorum, fidelis socia laborum tui unige-
niti! quia tu sola nullum fecisti peccatum, miserere hujus peccato-
ris, qui desiderat servire Filio tuo: fac, ut obtenta remissione id con-
sequar. O Cives superni hujus sanctæ Civitatis cælestis, etiam pro
peccatoribus conditæ, admittite me cum hoc meo desiderio, ut
nulla res terrena me separet à vestra societate. Amen.

ÆRUMNA XIII.
Ex Fame & Siti Iustitiæ.

I.

Fames &
Sitis iustitiæ



Anti fecit Deus Famem & Sitem Iustitiæ, cum qua
vivunt Iusti & Sancti, qui verè de fide rant placere sua di-
vina